

*Sil. gr*

# Programm

*L. 20%*

des

# Königlichen Evangelischen Gymnasiums

zu

**GROSS-GLOGAU**

für das Schuljahr von Ostern 1858 bis Ostern 1859,

mit welchem zu der

**öffentlichen Prüfung aller Klassen am 11. April**

so wie

**zu der Redeübung am 12. April**

ehrerbietigt einladet

der Director

**Dr. G. A. Klix.**



---

## Inhalt:

- 1) Commentatio critica et exegética de Cleonis oratione quae est in tertio libro Thucydidis.  
Scripsit R. Binde, Gymnasii praeceptor.
  - 2) Schulnachrichten. Vom Director.
- 

Druck von Carl Flemming in Glogau.

Ostern 1859.



Dy 125  
Sp. 41

# Commentatio critica et exegética de Cleonis oratione quae est in tertio libro Thucydidis.

---

Quam interpretaturus sum Cleonis oratio habita est de sumendo a Mytilenaeis, qui desciverant ab Atheniensibus, suppicio. Res notissima. Mytilenaei enim, socii Atheniensium ex eo tempore, quo Lacedaemonii bello Persico se abdicarunt, defectionem, quam ante bellum Peloponnesiaci initium jam in animo habuerant, perpetrarunt una cum reliquis insulae civitatibus praeter Methymnam eo anno, quo Archidamus, Lacedaemoniorum rex, tertiam in Atticam regionem suscepit invasionem. (Thuc. 3. 1. 1) Athenienses, auditis nuntiis clandestinis, ubi Mytilenaei adhuc in parandis opibus versabantur, primo legatos, qui persuadendo, tum naves miserunt quadraginta, quae per vim illos in potestatem redigerent, Mytilenaei autem, legatis ad Lacedaemonios missis, auxilium, quod petierant, impetrarunt (3, 4, 4. cfr. 3, 15, 1.) et ea re audaciores facti in Methymnaeos impetum fecerunt. Quare ab Atheniensibus ad augendas ipsorum copias Paches cum exercitu Lesbum missus est. Exeunte quinto belli Peloponnesiaci anno Salaethus, Lacedaemonius cum trireme in eandem insulam profectus, clam Mytilenen venit, ibique nuntiavit, classem duorum et quadraginta navium, quam ut auxilium ferret Mytilenaeis instruxerant Lacedaemonii, mox esse adventuram.

Haec autem classis, quamquam ejusdem anni hieme devecta, tamen quum in alia quadam expeditione moraretur frustra expectata est. Interea Salaethus, quum oppidum a Pachide oppugnatum frumenti inopia jam premeretur, populi multitudinem ad illud usque tempus inermem, armis instruxit. Tum vero vulgus simulatque in armis fuit, parere ducibus noluit nisi acciperet a civibus ditioribus, quo famem compelleret; atque etiam minatus est se urbem dediturum Atheniensibus. Quibus minis rerumque angustiis coacti duces et magistratus colloquium cum Pachide inierunt cumque eo convenerunt, ut exercitus Atheniensium oppidum occuparet, legati veniae pacisque petendae causa Athenas mitterentur. Exinde Paches in oppidum ingressus Salaethum atque eos, qui maxime cum Lacedaemoniis fuerant, utpote defectionis auctores, in vincula conjecit, et primo in insulam Tenedos, deinde Athenas misit. Athenienses vero, vehementissima ira incensi, decreverunt, ut viri juvenesque occiderentur, mulieres et impubes servitute oppressi tenerentur. Cujus consilii quum postridie poeniteret multos, legati Mytilenenses facile apud eos, qui auctoritate maxime valebant, effecerunt, ut iterum suffragandi causa populus ad novum comitium convocaretur. In quo quum multum in diversas partes disputatum esset, Cleon oratione, de qua agimus, consilium antea captum illud defendit. —

Summum hujus orationis argumentum a reipublicae salute imperiique incolumitate petitum videmus, et hanc quidem mutando consilio laedi ostendit noster, obtinendo servari. — Jam in exordio vitio vertit Atheniensibus confidentiam et indulgentiam, quibus potissimum in imperium peccent; ab his igitur quibus denuo deliberantes ad abrogandum consilium commoveri possint, summopere dehortari studet. Unde duae orationis partes dignoscuntur, quarum altera de nimia confidentia et credulitate, altera de indulgentia continet dissuasionem.

Via autem et ratio, qua Cleon eos qui audiunt, in suam sententiam trahere conatus est, in probriis, reprehensione, movenda formidine et suspicione sunt positae, quibus rebus sperat fore, ut hominum animi impellantur et conjiciantur in pudorem misericordiae, in oratorum diffidentiam, in odium Mytilenaeorum ingratorum, in summam denique violentiam, qua labores et pericula ab illis semper impendentia in perpetuum funditus tollantur. Quis est qui egregiam dicendi artem non videat neque Ciceroni assentiatur Cleonem turbulentum quidem hominem sed tamen eloquentem appellanti? Omnino sane Cleonis indoles et natura talis appareat, qualis et apud Thucydidem aliis locis et apud Aristophanem praesertim in Equitibus descripta reperitur. Magnam hominis vanitatem et arrogantiam, qua concitatus ad suam auctoritatem augendam alios reddit suspectos ut sibi speciem virtutis vindicet aut fictis terroribus salutis spem in se convertat, cognoscimus e cap. 38. et 40, 2. cfr. Aristoph. Equit. 60. — ἐστως ἀποσορθεῖ τὸν ωιτορας — deinde e cap. 40. 3. ubi, postquam de Mytilenaeorum flagitio et de periculis ab iis impendentibus multum disseruit verbis utitur his: πειθουενοι οεν ένοι τα δίκαια ες τον Μυτ. και τα ξύφωρα αια ποιησετε. cfr. Aristoph. l. c. 52—66. (v. 61. ἄδει δε χοησμον cfr. 475 seq.) vide Thucyd. 4. 27 28. ubi notissima ducum calumniatio et procax ejus contra Pylos suscepsum sunt narrata. —

Et his quidem in rebus non minus confidentem se praebet quam astutum, quare jure dictum videtur, quod legimus apud Aristophanem in Equit. v. 269. ως δ' αλαρων, ως δε μασθλης.

ibid. v. 758. — — — ποικιλος γαρ άνηρ

και των αιηχανων πορον ευηγχάνοντος ποοιων. —

Quum vero astutiae consilia et artifia expleverit, oratione aspera et iracundiae plena animos percutere studet: documento sunt opprobria, quibus cap. 38. 3—5 in populum invchitur.

(cfr. Aristoph. Equit. init. ubi Ηαφλαγων appellatur.

l. c. v. 136 et 137. — — — κεχρακτης Κυκλοβόρον φωνήν εζων.

v. 628. ζωημονος ἔρειδων. — — —

Consentanea sunt, quae in exordio responsionis a Diodoto referuntur: is enim haud dubie, etiamsi perplexis verbis, Cleonem designat primo impetuosum animum ejus oblique perstringens (42, 1 *ροιτω δε δυο τα έναντιωτατα ενβουλια είναι, ταχος τε και οργήν*) tum commodi aliquid eum appetere arguens, quod, ut e §. 5. l. c. colligi potest, certe in augenda auctoritate positum fuit, cumque in finem ostendens, mota suspicione illum et oratoribus contra ipsum verba facturis et populo audituro injicere metum (cfr. §. 2. *εν δε διαβαλων εκπλήξαι ον τον τε αιτεοντας και τον άκοντονονς*; §. 4. *η τε πόλις οντις ωφελεται εν τῷ τοιη δε φύσι γαρ ιποστεφεται των στυπουλων*).).

Atque vera quidem et commoda est rerum publicarum morumque hominum adumbratio, quam invenimus in Cleonis oratione, qua errores et vitia, quibus ea aetate Athenienses scimus obnoxios fuisse tanquam animo comtemplamur; atque enim Cleonem ipsum iis, quae pervellit, imbutum videmus vel fructum inde capientem. Levissimam illam fiduciam et temerariam, qua populus eorum virorum consiliis obsequebatur, qui vel blanditiis eum sibi adsciscerant vel ingenii ostentatione admirationem in se trahebant, quis erat qui magis quam Cleon ipse his ipsis arteficiis captavisset?

cfr. Aristoph. Equit. 714. 715. 719.)

Vituperantur Athenienses, quod speciosa dicendi elegantia et audiendi voluptate capti fraudem oratorum iniqua consilia suadentium non sentiant. At Cleoni ea ipsa, quam illudit, orationis elegantia a Diodoto probro vertitur (cfr. cap. 44, 2.). Neque a fallaci dicendi arte sophistarum eorum pue captionibus dialecticis, quas perstringit, abhorruit iste, qui quum justiam suadere videatur, re vera ad injustitiam adducere studet, flagitans ut Mytilenaei suppicio afficiantur non aliter si Atheniensium imperium fuerit legitimum ac si non fuerit, cfr. 40. 4. jubet praeterea multitudinem, quae re vera extra noxiam fuit velut defectionis participem condemnari (cfr. 27 et 47. 2) unde liquet, consilium ejus et verae aequitati et quod commendat reipublicae commodo, quam maxime repugnare (cfr. 47. 3.). Denique impudens calumniandi studium, in quo vulgatum eo tempore „sycophantias“ vitium velut in adumbrata imagine intuemur, elucet ex eo, quod adversarios sibi oratores pecunia corruptos esse insimulavit, quum re ipsa certe dubia esset (cfr. 38, 2 cum 43) neque ipse donum repudiavisset, datum ei a legatis Mytilenensibus, ut consilii capti abrogationem efficeret. (vide Aristoph. Equit. 830 seq.) —

Haec de orationis argumento et de Cleonis moribus sufficient. Diodotus respondet illi atque oratione sua, quamquam proinde atque adversarii a servanda reipublicae auctoritate profecta, clementiam commendat severitatemque mitigare studet demonstrans omnium condemnationem esse injustam, ne reipublicae quidem commodam, immo noxiam et valde perniciosa. Quare rogat ut omnes, qui a Pachide missi erant capitibus damnentur, reliqui absolvantur (cfr. 48). Quae sententia visa est Atheniensibus. Navis deducta est illico ad novum hoc consilium Pachidi nuntianendum, quae quum vento secundo vecta alteram prioris consilii nuntium allaturam illam praeveniret, prohibuit, ne quae antea jussa erant, efficerentur. Occisi sunt, qui a Pachide missi erant, circiter mille maxime noxiōrum, ceterum factum est, ut moenia diruerentur, naves Mytilenaeorum occuparentur.

Postremo pauca de habitae orationis tempore adjungamus.

Bello Peloponnesiaci initium primo Olympiadis octogesimae septimiae anno factum est, unde sequitur, a proxime sequentis Olympiade quintum belli annum exordiri. Cujus Olympiadis festum a Thucydide (3, 8) commemoratur, ut in quo Mytilenaeorum legati ad Lacedaemonios auxilii petendi causa missi defectionis rationes reddiderint. Quicquid iisdem de rebus posthac factum est, id eodem anno, quemadmodum Thucydidis res narrat, ad finem est perductum, ita quidem ut oppidum oppugnatum, de Mytilenaeis judicium latum et deinceps Cleonis oratio habita sit ejusdem anni aestate i. e. exeunte primo Olympiadis octogesimae octavae anno sive anno quadringentesimo vicesimo septimo a. Chr. n.



In exordio Cleon Atheniensium de capto consilio poenitentiam reprehendit tanquam gravissimum documentum, ex quo appareat democratiam aliis imperare non posse. Sane mirum videretur, Cleonem, hominem democratiae studiosissimum in eam ipsam invehiri nisi perspicuum esset, id eo consilio fieri, ut democratiae imbecillitate reprehensa homines ipsos de democratia valde gloriantes provocet ac deinceps eorum pravam agendi rationem castiget, qua ipsi soli civitatem reddant imbecillem. Asseverat enim propter nimiam fiduciam et indulgentiam Atheniensium, quam ut sibi invicem quotidiano usu, ita sociis praestent, facillime fieri, ut aut misericordia commoti, aut a sociis persuasione decepti, multa in imperii incolumitatem peccent, quoniam qui inviti imperio pareant, non beneficiis, sed vi et anctoritate coercentur.

Duplex argumentum, quod orationi suppeditatum esse diximus in his positum videmus: jam enim detrimenta, quae, ut noster inde a capite 38 ostendit, civitas tam ex oratorum fraudulenta persuasione quam e misericordia et nimia indulgentia capiat hoc loco generatim sunt pronunciata.

Verba ipsa oratoris in latinum sermonem conversa haec sunt:

„Saepenumero equidem alias democratiam imperare aliis non posse jam cognovi maxime  
„vero ex hac vestra consilii de Mytilenaeis capti poenitentia.“

De verborum ex *έγνων* pendentium ordine dubitare potest.

Poppo τὴν δημοκρατίαν objectum esse ex verbo *έγνων* aptum censem simulque subjectum verbi *ἀρχειν*. Inde subjectum enunciationis primariae velut objectum refertur, ex quo structura evadit anticipationis nomine satis nota. (cfr. Krüger Gr. §. 61. σ Κλιμ. 2.)

Ex hac Popponis sententia adjectivum *ἀδινάτος*, quae lectio contra vulgatam *ἀδινάτος* satis tuta est, non tam exspectatur, quam altera *ἀδινάτος* attamen neutrum genus quemadmodum saepissime fit, ad alias generis substantivum relatum apparent. (cfr. Krüger Gr. §. 43. 4. Κλιμ. 11.)

Aliter Göllerus verborum ordinem disposuit, quo ex *έγνων* primum pendet ὅτι *ἀδινάτον εστι* et deinceps accusativus cum infinitivo τὴν δημοκρατίαν-*ἀρχειν*. Sic quoque nuper Boehmius. Apud Popponem igitur *ἀδινάτον* significat, quod non valet ad rem aliquam efficiendam; apud nostrates univerbōgenē; apud Göllerum: quod effici non potest i. e. unmöglich. — Utramque vim et activam et passivam huic voci apud Thucydidem inesse complura docent exempla. — Thucyd. II. 11. VII. 28. *ἀδινάτοι* *έγενοντο τοῖς χοιρασιν* VIII, 60. *ἀδινάτα* *ἴη* — *μη οἱ τὰ μεγάλα βλάπτεις*.

Ordo autem, quo apud Thucydidem verba occurrunt in Popponis sententiam inclinant; neque enim Göllerus habet ullum quem afferat locum Thucydideum quo accusativus (in structura accusativi cum infinitivo) sententiae ex qua pendet antepositus reperitur, dum haec ipsa sententia ex alia quadam est apta.

Pergit orator: „Nam propter confidentiam et indulgentiam, quam quotidiano usu vobis in vicem praestare soletis eandem etiam in socios confertis et quidquid peccatis aut persuasione ab iis commoti aut misericordiae indulgentes id non arbitramini mitiganter agi in vestrum detrimentum, non ad gratiam sociorum vobis comparandum, quoniam non consideratis imperium, quod obtinetis tyrannidem esse eamque in homines qui vobis insidiantur invitique vobis parent, qui vobis dicto sunt audientes non propter beneficia, quae in eos vestro cum detimento contuleritis, sed quod vi potius quam eorum in vos benevolentia principatum obtinueritis.“

*τὸ αδεες, ανεπιβουλευτον.* Adjectiva (neutr. gen.) substantivi loco posita saepius occurunt, ubi de conditione aliqua, vel agendi ratione sermo fit. (cfr. Kr. Gr. 43. 4.) Illud hoc loco incuriam vel confidentiam (velut eam hominum condicionem, in qua nullas alias ab alio insidias timet) hoc indulgentiam significat. (vide Port. vers.)

Quae sequuntur:

*καὶ ὅ, τι αἱρετῆτε — ἐνδῶτε*

enunciationem relativam praebent, qua objectum e verbo *ηγεῖσθε* aptum complectitur, totusque locus epexegesin, ut ita dicam continet verborum: *καὶ ἐξ τοὺς συμμεχούς τὸ αὐτὸ ἔχετε.* De locutione *οἰκτῷ ἐνδίδονται* cfr. Thuc. 1, 12. 1, 37. *μή οἱ Ασπεδαιμόνιοι τι ἐνδῶσιν.* 4. 129. *οὐκ ἐνδοσαν οἱ Μενδαιοι καὶ οἱ ξυμαχοι.* Pro *ἐνδῶτε* Port. Bauer. *ἐνδόντες* quae conjectura haud temnenda mihi videtur, quoniam misericordiae concedere sive se dare non ita alienum est a τῷ *αἱρετανει* (e sententia Cleonis) ut huic opponatur, immo sicut λογῳ πεισθέντες in eandem notio- nem cadit, unde verisimile fuit, *ἐνδόντες* participium pari modo ac *πεισθέντες* i. e. pro enunciatio- nis secundariae loco, qua peccandi ratio exponatur, esse positum idque eo magis, si verum est, quod opinor, inde orationem esse dispositam.

De structura loci inde a verbis *οὐκ ἐπικινδύνως* exordientis Gölleum sequor, qui hunc ver- borum ordinem instituit.

*καὶ οὐκ ἴρεσθαι μαλακίζεσθαι ἐπικινδύνως ἐξ νιᾶς καὶ μαλακίζεσθαι οὐκ εἰς τὴν τῶν συμ- μάχων χαριν.* cfr. Schol. Offendit interpretes pronomen relativum *οἱ.* —

Poppo pronomen delendum censuit, Beckerus contra nescio quo jure retinendum, Hermannus verba *οὐδὲ* εἰς legenda proposuit, id quod Krügerus non improbat, denique Gölleus Popponeum secutus pronomine deleto ja participis in verbum finitum transire structuram existimavit cujus rei exemplum locum exhibuit Thucydideum 4. 4. Quanta dissensio! — Negari quidem non potest, lectionem, de qua dubitatur, nusquam nisi in aliquot codd. secundi ordinis (prout Poppo codd. ordinem instituit) reperiri. — Verumtamen in relativo *οἱ* nihil offensionis inesse opinor, si verba, quemadmodum facillime inter se coeunt, junguntur. Et sic quidem jungenda mihi videntur.

*οἱ ἀκροῶνται ἴμων, οὐκ ἡσ ὥν ἀν χαριζῆσθε (βλαπτόμενοι αὐτοὶ) ἀλλ ἡσ ὥν ἀν ἰσχὺν μαλ- λον ἢ τῇ ἐκείνων εἰνοίᾳ περιγίγνησθε)*

Sunt igitur duae enunciationes secundariae, quae ad unam tantum enunciationem primariam pertinent, in hac Athenienses subjecti locum tenent, in illis socii, quos paulo ante *ἀκοντας αρχο- μένος* appellavit orator.

Ex conjecturarum numero maxime placuit Hermanni et Baueri, *οἱ γὰρ* legendum proponentis. Nam si *οὐδὲ* εἰς legitur, languida sententia neque id quod nexus sententiarum flagitat utpote argumen- tationis causa exhibita appetet. —

Est sane aliqua difficultas in verbis *βλαπτόμενοι αὐτοὶ* quae, quo referantur ambigi potest. Secundum loci sententiam necesse est participium *βλαπτόμενοι* cum verbo *χαριζῆσθε* conjungi; ideoque ad subjectum quod huic verbo inest scilicet Athenienses referri. Ad Mytilenaeos enim spectare omnino non potest, quippe qui beneficiis ab Atheniensibus in eos collatis damno profecto non affiantur. Reliquum est pronomen *αὐτοὶ* quod Poppo eam ob rem cm̄ verbo *ἀκροῶνται* jun- gendum opinatus est, quod hoc loco sicut alias pronominis relativi locum teneret (cfr. Poppo ob- serv. crit. I. pag. 21.) —

Gölleus contra *αὐτοὶ* cum verbo *βλαπτόμενοι* jungere voluit, aptius sane et sensu accommodatius. Nam hoc modo pronomen illud ad sententiae vim augendam haud temere positum videtur. Significat enim saepissime quod ab alieno opere absolutum est, ita ut aut ad rem spectet qualis sua natura sive per se est, aut ad facta proprio consilio. cfr. Krüger Gr. §. 51. 6. Attm. 8.

Quod si tenemus ea detrimenta dicit orator, quae Athenienses beneficiis suis sibimet ipsi infligunt, [suarum rerum aliquantum impertinentes] qui beneficiis odio et invidia respondent neque ullam beneficiorum compensationem praebent.

Vocabula εἰς ὥν attractionis figuram quae vocatur continent hoc modo solvendam: εἰς ἐκεί-

*vov α* (Göllerus) vel *ἐκ τούτων α* (Kr.) non aliter Boehmius, qui sic interpretatur: nach Maßgabe, in Folge des Uebergewichtes, das ihr gewonnen. vel *δι ἐκείνα α* (Portus), idque in utraque enunciatione quoniam et *χαριζέσθαι τίνι τι* et *περιγγεσθαι τινά τι* dicitur. Totum locum apud Hudsonem meae opinioni convenienter sic explicatum reperio:

οὐ δι ἐκείνα, οὐ ἀν χαριζέσθε αὐτοῖς ὑμεῖς αὐτοὶ βλασπομεῖοι (hoc est α μετα τῆς ὑμετέρας βλαβῆς αὐτοῖς ἀν χαριζόσθε) υμῶν ακρουνται etc. vel sic: οὐτοὶ οὐ δια τὰς υμῶν εὐεργέσιας καὶ χαριτας, ἃς ὑμεῖς αὐτοὶ ἐχαρίσασίτε καὶ χαριζέσθε μετα τῆς ἴμετέρας βλαβῆς υμῶν πειθαρχοῦσιν ἄλλα etc.

cfr. Port. vers.

*ἐκείνων ευνοίᾳ*. Dubium esse potest, utrum genetivus subjectivus sit qui vocatur, an objectivus. Estne igitur sociorum erga Athenienses benevolentia, an Atheniensium erga socios?

Quum antea *χαρις* de sociorum erga Athenienses gratia intelligenda sit, non possum, quin hoc loco *εἰροίς* quod substantivum haud dubie eo respicit, ad sociorum gratiam referam. In hunc modum Heilmannus sententiam reddit: nach der Ueberlegenheit, welche euch eure Macht und ihre gute Gesinnung verschafft. Consentanea est interpretatio Porti: Qui vobis dicti sunt audientes non propter beneficia, quae vos ipsi vestro cum detimento in eos contuleritis sed propter potentiam, qua superiores estis potius, quam propter illorum erga vos benevolentiam. cfr. Levesquium: que vous ne les gagnez pas par la bienveillance etc. De totius loci interpunctione nihil habeo memorare, nisi me Bekkerum esse secutum.

Sequitur inde a cap. 37. §. 3. altera exordii pars, qua orator, ut orationis argumento proprius accedat illi, quod de fide oratoribus non temere habenda agit, questus de legum consiliorumque mutatione, tanquam gravissimo reipublicae incommodo, vanitatem et arrogantiam hominum ingeniosorum castigat, ut qui, quum nihil tantopere appetant, quam ut legibus vituperandis speciosisque orationibus habendis ingenium prae se ferant, civitatis salutem nequaquam curent. Scite Cleon rempublicam in qua bonae leges propter earum crebras commutations auctoritate careant cum reipublica quae minus bonis legibus sed perpetuis utatur comparat ejusque condicionem praefert: qua in re veresimile est, illum Lacedaemoniorum civitatem legibus et institutis stabilibus instructam, spectare eo consilio, ut Atheniensium, qui Lacedaemonios despiciabant, vanitatem concitet adeo, ut eos suae ipsorum pudeat inconstantiae. Deinceps noster hominibus ingeniiosis rudes opponit inscitiaeque sibi conscientis eaque de causa modestos, ut qui vere salvam reddant rempublicam, quorum morem esse sequendum quum in calce exordii asseveret, id studet, ut quo majorem in illos contemptum et dissidentiam conflet, eo majorem in se suamque sententiam trahat fiduciam et consensum.

Jam audiamus oratorem ipsum: hoc dicit:

„Omnium autem perniciosissimum esset, si nihil nobis constaret earum rerum, de quibus suffragia lata sunt neque intelligeremus civitatem legibus minus bonis quidem sed immotis utentem, meliore condicione frui, quam civitatem bonis legibus instructam quae auctoritate carent et imperitiam consociatam cum temperantia, utiliorem esse quam dexteritatem cum petulantia junctam, rudiores autem homines, si cum eruditis comparantur fere plerumque melius administrare rempublicam: hi enim et legibus sapientiores videri volunt et ea, quae quovis tempore pro communi salute dicuntur superare, ut qui in aliis rebus gravioribus, (alia graviore ratione) ingenium prae se ferre nequeant quare civitates maxime perturbant, illi contra suo ipsorum consilio non freti, legibus insipientiores sibi videntur esse minimeque idonei ad orationem ejus, qui apte dixit reprehendendam, verum judices ex aequo quum sint potius, quam concertatores, res plerumque bene instituunt (prospero successo fruuntur).“

*καίτεστηξει.* — De hac futuri forma e perfecto deducta, vid. Kr. Gr. 36. 4. Ann. 1. — Tempus futurum in sententia condicionali occurrit, si quis, ut hoc loco Cleon, veritatem conditionis infinitetur, vel certe dubiam esse putat. cfr. Kr. Gr. 54. 12. Ann. 2.

πόλις κρείσσων ἔστιν explicat Krueger: es ist besser, daß eine Stadt ic. Boehmius: eine Stadt ist kräftiger, wenn ic. Mihi quidem aliter visum est: eine Stadt ist besser daran, wenn ic.

cfr. Soph. Oed. Tyr. 1334.

κρείσσων γὰρ οἰσθαι μήκετ τὸν ἡ δῶν τυφλός

χρωμενη ἡ πόλις pro χρωμενη πόλις boni cod. Ar. C. Dan. et Hudsonius. Non omnino rejeciendus mihi videtur articulus, quum, id quod supra exposui, verisimile sit, certam (scil. Lacedaemoniorum) civitatem a Cleone spectari. —

Adjectivum ἀνύγος respondet opposito ἀσινητοῖς. Alterum enim saepissime usurpatur de legibus, consiliis, judicis, quae vi et auctoritate carent,

cfr. Plat. Prot. 356. a.

Xen. Anab. 5. 9. 28.

alterum a Schol. explicatur:

*αμεταθέτοις* si. e. quae non mutantur] quum vero dicere velit Cleon, leges auctoritate carere eas, quae prout libeat mutantur, manifestum est, adjectiva illa se invicem respicere, Heilmanni autem interpretationem: mit den besten, aber unstatthaften Verordnungen neque usui nec loci sententiae esse consentaneam.

Deinceps opposita inter se occurunt substantiva *αμαθία* et *δεξιότης σωφροσινη* et *ἀκολασία*.

*αμαθία*. Heilmannus verit: gutherzige Einfalt. quod nimium est, nulla enim alia hoc loco voci inest, nisi vis contraria τῇ δεξιότητι, quare satius Portus: imperitia; quocum consentit Scholiasta: *ἀμαθίαν δὲ ζαλεῖ οὐχ ἀπλῶς τὴν ανοιαν ἀλλα τῷ μη ἰτέλειν καὶ τῶν νόμων καὶ τῶν ὅπτοων καὶ πάντων εἶναι δοκεῖν φρονισμάταρον.*

cfr. Levesqu.: ignorance modeste Aptissimum nobis videtur germanorum: „Mangel an feinerer Bildung.“

cfr. locum Platonicum Prot. 360. b. ubi *αμαθία* cum *αγνοίᾳ* comparata invenitur.

*δεξιότης. ενιεταβλησία* Schol. Quae quidem notio ad sententiam non quadrat, cui propria vocis vis sola respondet scil. vis eruditiois vel dexteritatis.

*ἀκολασία* Disciplet etiam hoc loco Heilmanni interpretatio: „Jügellose Wankelmuth“. Quum *ακολασία* sit τῇ σοφωσινῃ opposita arrogantiae et petulantiae notio mihi placuit tanquam aptissima. Scite Levesqu: „l' habilité presomptueuse“.

Port. immodestia. Oppositum eidem voci reperitur substantivum illud apud Arist. Rhet. 1. 9. Eth. Nic. 2. 7. Bekk. et cum substantivo *ὑθροίς* junctum apud Plat. Apol. 26. c.

*οἱ φαντότεροι.* Haec quidem epexegeseos loco cum paulo antecedentibus conjuncta apparent. Nec vero *οἱ φαντότεροι* homines vilissimi sunt „die schlechtesten Menschen“ ut Heilmanno visum est, quae interpretatio nullam cum priore sententia habet rationem; sunt potius homines, *αμαθία* i. e. imperitia imbuti, *φαντότεροι τὸν γνῶμην* vel *συνεστῶν* (cfr. Port.). Qua in re et illud notandum, *φαντότεροις* cum *ζυντετέροις* comparari. Recte igitur Scholiasta: *ἀμαθεστέροις*. —

Itaque simplices, mediocres, rudes homines hoc loco dictos puto. Et hanc quidem significacionem Timaeus s. v. *φαντόν* ἀπλῶν testatur, multaque apud alios exempla confirmant. cfr. Poppo proleg. I. p. 209. Thucyd. 3. 83. *καὶ οἱ φαντότεροι γνῶμην ὡς τὰ πλεῖσ περιεγίγνοντο.*)

*πρὸς τοὺς ζυντετέροις.* Ad haec Schol. subintelligit: συγχρινουμενoi ita ut praepositio comparisonem indicet, de qua ejus potestate vid. Kr. Gr. 49. 2. Ann. 8. Significat igitur idem ac nostrum: im Vergleich zu (Kr. annot. ad h. loc.). Cujus generis exempla alia multa reperiuntur.

cfr. Thucyd. 6. 86. δυνάμει μεῖζον πρὸς τὴν τῶνδε ισχὺν. etc. —

3. 113. ἀπιστον τὸ πλῆθος λεγεται ἀπολέσθαι ως πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πολεως.

Xen. Anab. 7. 7. 41. καίτοι Ἡρακλεῖδη γε ληρος πάντα δοκεῖ εἰναι πρὸς τὸ ἀργυριον ἔχειν.

ως ἐπὶ τὸ πλεῖον, quod plurimi et optimi codd. praebent pro lectione Dukeri et Baueri: ως ἐπὶ τὸ πλεῖστον jure Bekk. recepit; vid. quae Schol. codd. Aug. annotat: ως ἐπὶ τὸ πλεῖον ἀκριβώς κείται. De significatione: plerumque, quae sententiae satis bene respondit vid. Herod. 1. 203. 2. 35. Plat. Rep. 2. 377 b.

οἰκονομοῦ. hoc loco idem quod: administrare, ut est in Porti interpretatione. respublicas plerumque melius administrare“ qui verbi usus apud Thucydidem ipsum ex aliis quibusdam locis satis appetat.

cfr. Thucyd. 2. 37. διὰ τὸ μὴ εἰς ὀλίγους ἀλλ’ εἰς πλειονας οὐκεῖν δημοκρατία κέκληται.

cfr. Schneider lexic. Xenoph. Sturz. lex. Xenoph. Tom. III. p. 248.

*οἱ μὲν* vocabula respiciunt *Συνετωτέρους*. Jam hominibus rudibus cum eruditis comparandis, quae praecessit sententia ea generatim tantummodo pronunciata accuratius exponitur.

*τῶν αἱ λεγομένων* i. e. quae quovis tempore, vel qualibet occasione, quotiescumque dicuntur. Non enim adverbium *αἱ*, ubi vel ad substantivum aliquod vel participium vel adjективum relatum occurrit, utique continuum temporis spatium spectat, sed illud potius, quod per aliquantum tempus identidem ergo singulatim solet fieri; significat igitur idem ac nostrum, jedes Mal, in jedem besondern Falle, de quo significatu vid. Kr. Gr. 50, 8. Ann. 9. et infra (apud Thuc.) cap. 38, 4. *τῶν αἱ ατόπων*, ubi alia id genus exempla nonnulla sunt laudata.

*ἐξ τοῦ κοινοῦ.* De peculiari hujus praepositionis vi et usu cfr. supra *ἐξ τῆς χρήσεως* (c. 37. 2.).

Hinc vertimus locum, in quo versamur: „pro communi salute verba facere (fürs Gemeinwohl Arnold) quo sensu locutio e dicendi verbis apta illa et alias apud Thucydidem occurrit,

Thucyd. 4. 58. fin. *ἐξ κοινον τοιουτον δὴ λόγους εἶπεν.*

Thucyd. 4. 59. *ἐξ κοινον δε τὴν δοκούσαν βελτίστην γνώμην εἶναι αποφανόμενος.*

cfr. Hom. Il. 23. 305, *μνῆειν εἰς αγαθα* (l. c. 9. 102).

Quare Heilmanni interpretationi: „bei den öffentlichen Verhandlungen“ qui Portum securus videtur (in publicis consultationibus) nullo modo assentiri possum. —

ως δὲ ἄλλοις μεῖζοσιν οἰκιν ἀν δηλωσαντες τὴν γνώμην.

Ratio et sensus hujus loci non admodum liquet, quare interpres valde inter se differunt.

Evidem propter particulam *ως* cum participio positam locum nostrum ipsam istorum hominum sententiam eamque magna cum ironia a Cleone perfricatam respicere arbitror eoque magis, quod vanitatem hominum eruditorum reipublicae perniciosam orator toto, in quo versamur, capite perstringit. Quod si tenemus facillime eluet, quo respiciat comparatio, quae est in adjektivo *μεῖζοσιν*, ad leges enim dandas vel orationes pro reipublicae salute habendas nullo modo potest referri, quibus rebus profecto nihil est in republica majus aut gravius. Itaque ejusmodi sententia omni careret sale et iracia. Bene contra comparativus ad ea refertur, quibus laudem sibi isti homines appetunt, quaeque continentur verbis (*σοφωτεροι τῶν νόμων*) φαινεσθαι et περιγγενεσθαι. Itellige: nihil sibi videntur gravioris momenti posse consequi, quam ut legibus sapientiores videantur. Atque in hoc inane studium, quum omne ingenium existiment impendendum summa eorum appareret vanitas, quam ridiculam reddere voluit Cleon. Sic jam Scholiasta locum videtur intellexisse. cfr. Schol.

Negari quidem non potest, sententiam tanquam e Cleonis animo fusam posse percipi, ut sensus sit: volunt sapientiores videri etc., quasi aliae nullae essent res graviores, in quibus ingenii

praestantiam possent declarare. Verumtamen si ad leges et orationes haec referuntur, absurdia sunt, si ad agendi rationem, ironiam non praebent. (cfr. Krüger.)

Non negligendam putavi conjecturam Bloomfieldi pro μειόσιν legendum μειόσιν censentis inde, quod infra cap. 40. 2. oratores, qui dicendo delectantur, moneantur, ut in rebus minoribus certamen ineant. Illius autem loci sententia est: gravioris momenti est (sc. Mytil. ultio quam in qua ingenii certamen fiat. Sin autem hoc loco μειόσιν legeretur, tum sensus esset: sunt revera res minus graves, in quibus isti ingenium possent praestare. Hoc autem si e Cleonis animo dictum esset aut omni sensu aut certe ironia careret, sin ex ipsorum animo petitum acciperetur, sensus esset: nihil putant esse vilius, in quo ingenium pree se ferant; itaque in hoc incumbunt, id quod absurdum est.

*σφάλλοντι.* Port. evertunt. Quae vis etiamsi verbo fere inest, cfr. Soph. Electr. 408. πολλὰ τοι συκῷα λογοὶ ἐσφηλαν ἥδη καὶ καθώρθωσαν βρότους; cfr. Eur. Med. 198. tamen pro loci sententia quia nimia est ferri nequit. Namque nihil aliud hoc loco valet quam: damno afficere, ut vertit Heilmanns: ziehen Nachtheil zu (cfr. Thucyd. 5, 16. ὡς οὐδὲν σφῆλας τὴν πόλιν, Soph. Trach. 716. ταρρεῖν τὸν εὐ πρᾶσσοντα μὴ σφαλγεῖτε) aut, quod etiam satius se habet: perturbare (de quo significatu vid. Thucyd. 6, 11. εἰ σφαλεῖται τι; Soph. Aj. 447.

*τῇ ἑαυτῶν.* Vulgatam lectionem: τῇ αὐτῶν. Haackius cum Dukero et Bauero retinuit et ea quidem praeterquam quod difficilior est, etiam eo probatur, quod facile factu erat, ut librarius quidam, litteram ε quam fortasse (litt. ε delecta) solam in libro invenisset, cum pronomine αὐτῶν componendam suspicaretur unde lectio illa τῇ ἑαυτῶν potuit evadere. De locutione cfr. simillimum praepositionis απὸ usum (Kr. Gr. 68. 16. Ann. 7.) Thuc. 2. 39. ἢ τῷ ἀφ' ἡμῶν εἰρηνικῷ.)

Genetivus τῶν νόμων non ex ipsa adjectivi *ἀναθος* potestate pendet, ita ut sensus sit: quasi essent legum imperitiores, sed ex comparativi forma (ergo: insipientiores quam leges) sicut antea idem genetivus ex comparativo *σοφώτεροι*. —

*αξιούσιν.* — Heilm.: *befleiden sich.* — Steph. ultiro fatentur; vertunt ultra propriam verbi vim: censere, putare, quae satis commoda videtur.

*τοῦ καλῶς εἰπόντος*, non est, qui eleganter dicit, ut Levesquio placuit (qui parle bien) sed qui recte apteque (scil. pro communi salute τὸ κοινόν, quo respicit is locus) verba facit. Heilm.: der zum Besten räth.

*μέμψασθαι* aptum ex ἀδυνατώτεροι est, non quod comparativi formam habet, sed quod adjективum est, ut recte monuit Kruegerus; comparativus enim ad ἔννετωτέρους respicit, quibuscum *οἱ φανέλοτεροι* comparantur. Non igitur Popponem et Vallam sequor; η ωτε μέμψασθαι subintelligi jubentes.

*χριται οὐτες.* Inest allegoria, quae vocatur, petita a ludis: *χριται* sunt qui certamen dijudicant et praemia tribuunt, ut ἐλλανοδίκαι in ludis Olympiacis; *ἄγωνται* certaminis participes i. e. qui concertant. Sensus est: non ipsi certamen ineunt ut qui ingenium pree se ferre non posse sibi videantur (*ἀπιστοῦντες τῇ ἐξ αὐτῶν συνέσει*) immo, quae a certantibus in lucem profertur, ea dijudicant, idque

*ἀπὸ τοῦ ισον* i. e. ex aequo (Kistem. *ἀπὸ τοῦ ισον* i. e. ex aequo ut vertit Steph.) — Intellige: a neutra parte stant et sententiam a quoconque dicitur, non aliter atque ipsis videtur aut comprobant aut refutant. De notione adjjectivi *ισος* vid. Popp. ind. in *ισος* et observ. crit. I, 93. *ισος ανήρ* Soph. Pilost. 685. *ισος δικαστης*. Plat. Legg. VII. 957 c. Bekk.

Iudices vero ex aequo quum sint ὁροῖνται τα πλεῖστα. Portus, qui vertit: „itaque republicas plerumque recte administrant“, mediae formae activam potestatem attribuit et τας πόλεις velut verbi objectum subaudivit. Est autem locus Thuc. III. 42. (καὶ πλεῖστοι ἀν δρῦσιτο ἀδυνα-

*tous λέγειν ἔχοντα τοὺς τοιούτους τῶν πολίτων* qui manifesto huic spectat, ex quo verbum satis probatur activa potestate hic non fungi idque eo minus, quum ex iis fere locis Thucydideis, qui mihi quidem in promptu sunt, ubi media ejus verbi forma occurrit, media queque elucet vis. Et hanc quidem etiam hoc loco retinendam puto, ut idem valeat quod Latinorum: bene se habere, prospero successu frui. —

cfr. Thuc. 6. 9. *μάλιστα γὰρ ἀν ὁ τοιούτος καὶ τὰ τῆς πόλεως δι ἐαυτὸν βούλοιτο οὐθοῦσθαι* (cfr. 3. 30; 5. 9.).

Itaque Heilmanni interpretatio mihi accepta est: da sie nun solchergestalt mehr die Stelle unparteiischer und gleichgültiger Richter als eifriger Verfechter der einen oder andern Meinung vertreten, so fahren sie gemeiniglich gut dabei.

cfr. Gail: ils réussissent ordinairement, parcequ'ils écontent un avis avec l' impartialité de juges plutôt, qu'avec la prétention de rivaux. —

Orator, jam quae huic usque disseruit colligit hisce:

„Sic igitur nos oportet agere et non dicendi facultate et ingenii aemulatione elatos praeter justum ac verum multitudini nostrae suadere decet.“

Notandum subtile sententiae consilium: monentur oratores, qui hac de re sententiam dicturi sunt, (in quorum numero Cleon et ipse est) ne ingenii aemulationem subeant neve decipiunt multitudinem, qua exhortatione Cleon eum in finem utitur, ut se ipsum a decipiendi conatu abhorrere planum faciat sibique populi comparet fiduciam. Verba igitur continent captationem benevolentiae et hoc quidem arguento utor ad lectionem ἡμᾶς pro qua Haackius νυᾶς suspicari aliquem posse existimavit tuendam. Vestram multitudinem Cleon eorum hominum dicit, quorum in concione habet orationem quosque alloquitur. —

ὡς pro οἴτως positum, quamquam rarius praesertim apud Atticos prosae orationis scriptores reperitur nec nisi una cum aliis quibusdam conjunctionibus, tamen hoc loco addubitari nequit. (cfr. Kr. Gr. 25. 10. Ann. 11.) Nam et codd. fere omnium auctoritate et consensu satis tuta est et loco Platonico (Prot. 338. a. vid. Heindorf. ad Prot. §. 44. ὡς οὐν ποιησετε καὶ πειθεσίτε μοι) probata. Quare Popponem non sequor, qui in lectionem ὡδὸν οὐν, quam Hudsonius ex uno tantum codice Chr. exhibuit, se propensiore esse scripsit.

δεινότητι = τῇ φητοφηκῇ δυνάμει (Sh). Quae vox quum ingenii sollertia tum hoc loco dicendi vim et facultatem significat.

cfr. Thuc. 8. 68. ἀλλ ὑπόπτως τῷ πληθει δια δόξαν δεινότητος διακείμενος.

Heilm.: Geschicklichkeit minus accurate. ξυνεσεως αγῶνι. Quae continetur hoc substantivo notio prudentiae, ingenii, apparel apud Platonem qui ξυνεσιν cum φρονήσει comparat (Crat. 411. a Bekk.) et ab ἄγνοια dignoscit. (Rep. II. 376 b.)

ἐπαιρομένονς vertendum mihi videbatur per Latinorum: efferi, quam notionem huic verbo inesse complura docent exempla:

cfr. Thuc. 4. 18. δια τὸ μη τῷ οὐθομένῳ αὐτοῦ πιστεύοντες ἐπαιρεσθαι. (vid. not. Kr. 6, 11.)

παρὰ δόξαν. Scholiasta explicat. παρὰ τὸ δοκοῦν καὶ φαινόμενον, εἰς οὐ παρὰ τὴν ἀληθειαν. Cui assentior, nam loci sententia illud de iis intelligi jubet, quae praeter veritatem ab iis, qui dicunt, bene cognitam in medium proferuntur. Locutio igitur spectat oratorum ipsorum propriam et sinceram opinionem, quam populo dissimulant. Hinc probabilis mihi videtur Porti interpretatio:

„vestrae multitudini aliter, quam sentimus, suadere.“

improbanda Kistemakeri:

„praeter decretum aliter ac visum est populo.“ —

E totius loci structura hoc modo me expedio:

*ως εὐν̄ χοη̄ καὶ ημας ποιεῖν* (sc. sic ut laudati antea homines rudes agunt) sequitur epexegesis μὴ ἐπαιρουμένους δεινότητι καὶ ξυνέσεως αγῶνι παρὰ δόξαν etc. — *παρασινεῖν.*

Participium *ποιῶντας* pro verbo finito positum, (Kr. Gr. 56, 15. Ann. 2. 3.) alterum *ἐπαιρουμένους* appositionis loco ad pronomen *ημας* relatum est. Quare comma, quod post *ποιῶντας* apud Popponem, Bekkerum, Duk. Bauer. inveni delendum puto, ut deest apud Gölleum. Participium enim illud non sententiam intermedium, sed praedicatum continet subjecti, quod est in pron. *ημας*. Negatio *μὴ* cum infinitivo juncta occurrit, quia infinitivus velut subjectum verbi impersonalis (*χοη̄*) positus appetit (cfr. Kr. Gr. 67. 7. Ann. 1.) Atque de interpunctione quidem verborum, quae antecedunt omnium, notare velim me argumentis supra expositis illis adductum, colon ponere ante verba: *οἱ μὲν*, comma post *πάλεις* —

Capite 38. Cleon, quidquid hactenus disseruit jam accuratius et singulatim exponit. Perstringit eos, qui sententiarum argutiis et speciosa dicendi arte, fortasse mercede conducti, praeter opinionem multitudini persuasuri sint oratores. Primum se in consilio de Mytilenaeis capto perseverare asseverat eosque reprehendit, qui populo iterum in suffragia misso, moram effecerunt, Mytilenaeis commodam, Atheniensibus perniciosam. Deinde ad criminandos fraudulentos oratores exemplum exhibit sententiarum perversarum, quibus necesse sit utatur is, qui susceptis adversarii partibus, ipsis argumenta sit refutaturus.

Audiamus nostrum: „Equidem in consilio capto persevero atque de iis miror, qui proposuerunt, ut iterum de Mytilenaeis sententiam diceremus moramque effecerunt, id quod e re illorum potius est, qui injurias perpetrarunt. —

*ὁ αὐτὸς εἰι τῇ γνωμῇ.* De locutione cfr. Thuc. 2. 61. Valk ad Eur. Phoen. 972. Pariter cum dativo juncatum est pronomen *αὐτὸς* atque adjectiva quae similitudinis vel consensus notionem complectuntur cfr. Kr. Gr. 48, 13. Ann. 5. 8. 9. Intelligitur proprie: idem sum si quicquid nunc sentio cum consilio capto comparatur.

De genitivo ex verbo *θαυμάζειν* apto vid. Albreschium (dilucid. Thucyd.) cui in sermone invectivo hic casus probatur. Alia ratione genitivus explicatur a Kruegero (Gr. 47. 10. Ann. 8. 9.) qui objectum aliquod (*τούτο, τόδε*) ex quo pendeat is casus subintelligi compluribus ostendit exemplis.

Pro verbo *προθέντων* Haackius. Benedictum secutus *προσθέντων* recepit. At illud quidem codd. pluribus stabilitum est et sententia flagitatum. cfr. Thuc. 3. 67. *οὐ λόγω τοὺς ἀγῶνας προθῆσοντες.* De significatus discrimine verborum *προτιθέναι* et *προστιθέναι* vid. quae infra ad cap. 40. 1. 1. a me annotata sunt.

Praepositio *πρός* cum genitivo juncta occurrit, (*οἱ ἔστι πρός τῶν ἡδικηζότων μᾶλλον*) quo quidem casu utendum est, si esse aliquid a parte alicujus vel fieri aliquid alicujus commodo enunciare velis (cfr. Kr. Gr. 68, 37, 1.)

*οἱ γὰρ παθῶν τῷ δρασαντι*

Jam ostenditur, quibus de causis mora sit Mytilenaeis commoda et exoptata.

„Qui enim injuriam passus est eum, qui infixit, ira aggreditur minus gravi. (sive languidore.)“

Subintelligendum: si inter injuriam acceptam et poenam exigendam intercedit tempus aliquantum, quo ira lenitur et imminuitur usque eo, ut qui injuria affecit alterum (hoc loco: Mytilenaei) is poenam minus gravem solvat. Res quam maxime perspicua. Deinceps, quae contraria condicione (i. e. si tempus non intercesserit) sequi solent, memorantur. Interpretes, etiamsi rem ipsam fere omnes recte perceperunt, tamen de verborum structura haesitarunt et singula ratione diversa interpretati sunt. Equidem verba hoc modo construo: Subjectum verbo inest *αυννασθαι*

netur cui appositionis loco verba adjunguntur ὅτι ἐγγυάτω κείμενον ἀντίπαλον ὄν, ad haec refero τῷ παθεῖν, praedicatum verbo ἀναλαμβόνει, objectum substantivo τινὶ τιμωρίαι continetur.

Sane mirum est verbum ἀμύνασθαι subjecti loco positum, articulo carere, at vid. Kr. Gr. 50. 6. *Անմ. 3.* Licet enim omitti articulum quum non de re vere facta sed quae fieri tantummodo potest, sermo sit. Idcirco vertendum esse opinor: ultionis conatus. De notione puniendi vel par paribus reddendi, quae verbo inest cfr. Thuc. 1. 42. — Reiskius vertit: vim illatam depellere. Satis bene.

Quae sequuntur, quomodo inter se sint referenda, optime ex vocis ἀντίπαλον significatione apparebit. Primaria ejus notio, ex qua reliquae demum profectae sunt, petita ab aequilibrio, ad ea spectat proprie, quae inter se adaequata, pondus aequa grave sibi invicem opponunt. Omnino igitur res intelliguntur inter se pares vel aequa graves. Vid. quae Heilmannus ad hanc vocem contra Vallam et Portum annotavit his: ἀντίπαλος einer, der immer Andern gewachsen ist, cfr. Kistem. not. ad 3. 48. ἀντίπαλων = aemulas s. maxime contrarias et aequa graves. — Et hoc quidem sensu ἀντίπαλος apud Thucydidem sexcenties reperitur.

cfr. 3. 11. ἀντίπαλον δέος μόνον πιστόν ἐς συμμαχίαν

4. 73. λογιζόμενοι μη ἀντίπαλον εἴναι σφίσι τὸν κινδυνον.

3. 49. οὐδεισῶν δὲ τῶν γνωμῶν τούτων μαίστα ἀντίπαλων πρὸς ἀλλήλους.

Mecum consentit Boehmius haec annotans: ἀντίπαλον ὄν indem es dann gleich frästig ist, so frästig, wie die Bekleidung selbst war.

Quaerenti, quo referendum sit illud ἀντίπαλον, dativus occurrit τῷ παθεῖν, cui et dicendi ratio et res ipsa est consentanea. Hoc modo tollitur simul difficultas, quae si adverbium ἐγγυάτω ad dativum referas, posita appareret, quamquam dativus quoque cum eo junctus, etiamsi rarissime, invenitur. — (cfr. Kr. Gr. 48. 14. *Անմ.*)

Ceterum constructionem totius loci praegnantem esse, quae vocatur, opinor, et verba ὅτι ἐγγὺς κείμενον sensu quidem, non structura respicere ad dativum τῷ παθεῖν, id quod Abrechii quoque visum est, sic verba construenti: καὶ ἀμύνεσθαι ἀντίπαλον ὄν τῷ παθεῖν, ὅτι ἐγγυάτω κείμενον (αὐτῷ nempe τῷ παθεῖν.) Elucet, interpunctione non opus esse virgulasque, quibus Poppe, Kistem. Bauer. verba ἀντίπαλον ὄν, inclusa voluerunt, satius omitti, ut sunt omissae a Bekkero.

Itaque locum sic intelligo: „ulciscendi vero conatus, si injuriis aequa gravis est, eo quod quam proxime fit, talionem (satisfactionem) maxime repetit.

Aliter quidem Haasius: is enim participio (*ὄν*) deleto, ἀντίπαλον attributum substantivi τιμωρίας esse voluit. Quae structura Vallae quoque fortasse observabatur, qui vertit: in ulciscendo enim, quum recentissima offensa est, tum maxime par supplicium sumimus. Verumtamen non est quod deleatur participium, quo deleto structura dura foret et contorta; accedit, quod ut infra demonstrabitur τιμωρία hoc loco poenam sive supplicium non significat, sed satisfactionem quae notio ipsa parem poenam involvit.

Prorsus alienam a Cleonis consilio sententiam loco nostro suppeditat Reiskius. Qui vir doctissimus ad participium παθών adjectivum ἐνδεέστερος vel ὑποδεέστερος subaudiendum existimat, ut sensus sit: nam qui male patitur, mitiore ira persequitur aggressorem, si viribus inferior est. At paribus nexus viribus citissime ulciscitur. Fugit eum profecto sententiarum nexus. Non enim de potentia minore vel majore qua quis in ulciscendo utatur, est sermo sed lentior vel citior vindicatio inter se comparantur, ratione habita majoris minoris efficaciae, quae ut fert natura humana, in alterutra positam se praebet. Neque alium sensum Scholiastae olim acceperunt:

εἰ τῷ αιμνεσθαι τῷ παθεῖν ἐγγὺς τεθεῖη, τοιτέστιν εἰ μη γένοιτο ἐν μέσῳ χρόνος πολὺς

*ισόπαλόν τε καὶ ιδον τυγχανει τὸ αμνεοθαι, διὰ τὸ τὴν μνήμην ἀκραιφνῆ παρεῖναι τοῦ πεπονθέναι.* (Schol. codd. Cass.)

*οὐ γὰρ παθὼν φησιν ὡς τις παρεντὸν ἀμνόμενος ισχυραν τὴν τιμωρίαν (αὐ) ποιεῖται· τὸ γὰρ αμνασθεῖται κεῖμενον ἐγγύτατα ὡς ισόπαλον οὖν, τοῦτο ποιεῖ.* (Schol. codd. Pal.)

E reliquarum interpretationum numero maxime placet Heilmanni:

wenn die Rache der Beleidigung auf dem Fuße nachfolget, solche am ersten im Stande ist, derselben die Stirn zu bieten und sich Gerechtigkeit zu verschaffen.

Portum vero et Casam fecellit vox ἀντίπαλος, quam alter perperam intellexit, alter quo referat in ambiguo linquit

Port: ultio vero, quae est injuriae illatae adversaria, si statim eam sequatur maximas poenas repetit.

Quid sibi velit „adversaria“ non video, quoniam ultio per se adversaria est injuriae.

Casa: cum vindicatio, quam maxime propinqua injuriae acceptae est, tum paribus nixa viribus justissimas poenas repetit.

